



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

24 Feb. 6 Kal, Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

24 Feb. 6 Kal, Mart.

S. Mathia Apostole Martyr, præ-
destinatorum imago, sicut Ju-
das reproborum; tu, qui Judæ re-
probi loco in collegium prædesti-
natorum electus es, quando super
te cecidit felix illa fors, quando
descendens è cælo splendor, tu-
que capiti insidens, te sancto Apo-
stolorum collegio, & magistratui
adscriptus: qui postea inter gentes,
recusato ad deliberandum, an à
Christo desciscere velles, tempore,
in Crucé suspensus, cæcos multos
perfanâsti; lapidibus, & securi per-
cussus, sortem hereditatis æternæ
adiisti. cujus reliquias tractantis
Sacerdotis digiti oleo fragrantissi-
mo stillavêre: qui negligenti cui-
dam Sacerdoti, ad vitandam desi-
diam, cicatricem perpetuam in
fronte inussisti: cujus ossa cum la-
terent, stellæ, ac fontis mirabilis,
eo in loco erumpentis, indicio sunt
comperta. qui in medio aperti alta-
ris Deiparæ, aureâ veste indutus,
& velut quiescens, conspectus ab
eo, qui te sæpiùs visitabat, eum ob
illam pietatem laudâsti, ac dixisti:
Mathias

Mathias ego sum. Noveris autem; quòd te maneat merces maxima, & eos, qui me tuo exemplo adire voluerint. Nullius erit irritum votum, nullius vacua postulatio. id quod calamitosi plurimi sunt experti. Juva èt me: fac, ut sim fidelis Deo meo usque ad finem, ne cadat super me fors Judæ, sed Mathiæ; ut felici morte hinc in sortem Sanctorum veniam, quæ est fors filiorum Dei. Amen.

S. Primitiva M.

S. Sergi M.

Sancti Donatiane, & Primule, qui baptizati in carcere, statim obiistis.

Sancti Montane, Luci, Juliane, Victorice, Flaviane, & socii, S. Cypriani discipuli, quibus paratus ignis, divinitus extinctus est, charitatis vis visione monstrata est; qui denique Martyres cecidistis.

S. Prætextate Ep. Martyr.

S. Modeste Episcopo.

S. Edilberte Rex.

S. Joannes præcursor, cujus hodie caput repertum est.

S. Joannes Theristes, qui Mauros Cruce immobiles reddidisti: thesaurum tuum in pauperes erogasti: messorum, à quibus irrisus fueras,

fueras, refecisti, pane ac vino nihil imminuto; post mortem etiam admirandus.

S. Birstane Episc. qui pro defunctis orans, cum diceres, *Requiescant in pace; voces, Amen* è sepulchris dicentium, audivisti: qui sanus, repentinâ morte extinctus, post mortem, cum duobus aliis Sanctis, gloriosus apparuisti. Ora, ut mors me sanctè paratum inveniat.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 44.

S. MARIA, *cujus cliens ille hodie mortuus est, cui tu dixeras, securam esse ad calum obedientia ceca viam: fac me vivere vitâ, & mori morte, obedientium Deo!*

25 Feb. 5 Kal. Mart.

S. Tarasi Princeps, postea Archiepiscopus, pauperum pastor quotidie, & sæpè minister: quem etiam mortuum adeò timuit Leo iconomachus Imperator, ut, imperio tuo, se à Michaële quopiam occidi somniaret; id quod sexto post die expertus est, quando à Michaële Balbo confossus est. Charum tibi fuit pauperum nomen: ecce me pauperem,